



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illvstrivm Virorum Poemata

Cesarini, Virginio

Antverpiae, 1662

In Eivsdem S.D.N. Diem Natalem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-7990

IN EIVSDEM S. D. N.
DIEM NATALEM.

VENIT ALEXANDRI natalis. Supplicet aris
 Turba frequens: flammis fumet acerra pijs.
 Nec citharæ sileant, citharis nec carmina desint:
 Huc, age, qui citharâ, carminibusq; vales.
 Vos quoque, felices animæ, pia nomina, Vates,
 Quos Latium, quos & Græcia terra tulit;
 Seu vos æternùm retinent Parnassia Tempe,
 Seu choream in siluâ ducitis Elysiâ;
 Quandoquidem manes imâ tellure repostos
 Arte ferunt, viui quam coluere, capi;
 Cingite fronde comam, & Troiâ Thebisq; relictis,
 Natalem magni concelebrate Patris.
 Et dum, VIVAT IO, resonamus, amabile carmen
 Integret Elysum, Pieriumq; nemus.
 At vos, Aonides, quarum sub numine sacro
 Leta virent doctæ iugera Castalia,
 Flectere queis animos, & inexorabile pensum
 Parcarum citharâ carminibusq; datum est,
 Si puerum arcanâ faciles fouistis in umbrâ;
 Si iuuenem purâ sæpè rigastis aquâ;

Illu

AV
 Illius
 Toll
 Si plan
 Cùm
 Dum l
 Ac
 Fallor?
 Fron
 Et num
 Signa
 Ergò d
 An
 Quo C
 Litor
 Quo tan
 Telor
 Tu mo
 Qui j
 Quæ ral
 Quæ
 Hinc pre
 Hinc
 Heu con
 Arma

*Illius ob carmen nostri si gloria sæclī
 Tollit se vestris ardua verticibus;
 Si plausum tripodes, vocaliaq̄, antra dedere,
 Cùm Deus hunc magnum misit in imperium:
 Dum lucem hanc colimus, cantu fidibusq̄ fauete,
 Ac pede, res agitur vestra, fauete Deæ.
 Fallor? an excite veniunt ad sacra sorores,
 Fronde coronatas expediuntq̄ lyras?
 Et numeris certare parant? Certaminis huius
 Signa dat è summo Calliopeia iugo.
 Ergò diem faustis celebremus nos quoque votis:
 Annus enim nobis sæpè canendus adest,
 Quo Christum accipiant ultrò regna inuia nautis,
 Litoraq̄ argenti siqua sub axe iacent,
 Quo tandem à miseris rubigo turpis aristis
 Telorum duram transeat in segetem.
 Tu modo dexter ades, tantisq̄ allabere cæptis,
 Qui flectis nutu regia corda tuo.
 Quæ rabies armet populos, quæ prælia poscant,
 Quæ scelerum, quæ sit Martis imago, vides.
 Hinc premit Heluetiam strictis furor impius armis;
 Hinc luget patrio Sarmata pulsus agro.
 Heu coniuratis etiam sociata Britannis
 Arma metum populis exitiumq̄ ferunt!*

Heu iter infaustum relegens feralis Enyo
Itala pugnaces ducit in arua manus!
Ceu Padus Insubres cum turbidus inuehit imbres,
Quos miseri luctus augeat agricolæ.
Hinc etiam ferrum Odrysi crudele Tyranni
Per Venetium clades imminet Italiae.
Scilicet Italiam contra bella impia surgunt:
Huc inhiant diræ crimina barbarie.
Tu tamen ô populis tellus assueta regendis,
Ingenio atque armis inclyta, parce metu.
Maxima ALEXANDRI virtus tibi militat, altis
Alpibus & gemino firmior usque mari.

A D E V M D E M,
 de hesterno fulmine.

Cesserat atra fames Latio, TE, Maxime Princeps,
 Vindice, & horribilis, sed sine clade, lues;
 Cum misera nondum placatus Iupiter Vrbi
 Illam maiori deuouet exitio.
 Pallentem immittit morbum, quo Flavius ager
 Detinuit multos anxia corda dies.
 At Iuuenem egregium populis donare coactus,
 Arripuit tandem tela trifulca manu.
 Irrita sed pariter ceciderunt fulmina, & iram
 Numinis ante tuos deposuere pedes.

A D